

licitudine, lavamus. » Quemadmodum enim aqua calida non modo abstergit lutum a pedibus, sed tollit etiam lassitudinem, et lenit dolorem: ita qui dolenti condolet, et lacrymanti collacrymatur, lacrymas ei abstergit, et quodammodo exsiccat: quomodo pluvia in Narniensi agro dicitur non tam madorem quam ariditatem afferre, a Cicerone, lib. de admirandis, et Plinius, lib. XXX. c. IV. Optime S. Chrys. ho. L. in Matt. « Sicut pluvia, inquit, semper bona est, maxime tamen grata est tempore siccitatis: ita et visitatio amicorum semper quidam suavis est, multo tamen suavior in tempore luctus. » Hoc est, quod commendat Eccl. c. VII. *Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.* Quod in primis egregie præstitit Christus viduæ filii unici mortem lugentis cum ejus gratia a Cana in Naim perrexit eique obvians dixit: Noli flere: adeoque etiam filium redivivum restituit, Luc. VII. Rursum cum se duobus discipulis in Emmaus tendentibus, mæstis ac desolatis junxit mæroremque omnem sua consolatione abstersit et in gaudium convertit, Luc. XXIV. Idem lavaerum exhibuit mærentibus etiam S. Job, qui cap. XXXIX. ait: *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Quæ quidem compassio quandoque gratior est pauperi, et perfectior ipsa eleemosyna et largitione; quia ut divus Gregorius, lib. XX. moral. c. XXVI. ait: « Ille perfecte tribuit, qui cum eo, quod afflictio porrigit, afflicti quoque in se animum sumit, ut prius in se dolentis passionem transferat, et tunc contra dolorem ipsius per ministerium concurrat. » Et mox: « Exteriora largiens rem extra semetipsum præbuit: qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, aliquid de semetipso dedit.

VI. Cum alter alterum quomodocumque juvamus. Ita exponit verba Christi auctor incertus in biblioth. homiliarum: « Hoc est fortasse, inquit, quod apostolus ait; hæc est forsitan illa lex, quam nos adimplere præcepit quando dixit: Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi, hoc est, mandatum Christi. » Quo fessos pedes lavat, expeditores ad ambulandum reddit: et quid aliud agit, qui alterius onera in se suscipit? Lavat ergo pedes alteri, qui cibum, potum, vestem et quid talium est, liberaliter suppeditat egenti: qui uti sine tali auxilio succumberet, eo vero adjutus sustentare viam potest. Præstitit hoc in primis S. Martinus, cum adhuc miles esset, servo suo, cui per vices servivit. Præstitere duo sancti fratres Wilibaldus et Wunibaldus, qui alternatim ægrotantes, alter alteri inservierunt, ut in eorum vita. Necnon

S. Leo, Pp. nonus, (auct. Wiberto) qui noctu cum puero ambulans prævio lumine in palatio suo, « Vidit in angulo jacentem leprosum scissis panniculis ac ulceribus obsitum, lurida putredine tabidum, qui nimia pressus ægritudine quibat gressum movere, vixque poterat ex fracto corpore verba proferre. Cui venerandus pater genibus flexis diu est familiariter locutus et propriis vestibus suis involutum intulit humeris ad lectum, qui sibi pontificali more fuerat præparatus. Intrinsecusque januis obstratis, ac ministro separato, ipse solita institit psalmodia in vicino oratorio. Demum post diutinam horam assueto usu humi cubaturus rediit, leprosum quem extracto locaverat thoro minime reperit, excitatum puerum interrogat, quorsum pauper abierit? Ille attonitus cunctos circuit angulos domus, ostiorum sollicitè tentat aditus, sed omnia inveniens obserata cum summa admiratione regreditur. Hoc ergo facto stupefactus Dominus apostolicus dat fessa soporiferæ quieti membra, et nescio quid divini in somnis cernens, mane puero cum terrificâ admiratione imperat, ne cui quoad viveret, ullo modo panderet, quod actum fuerat.

VII. Denique pro nostris delictis invicem oremus, atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus, ait Sanctus Augustinus, tract. LVIII. in Joan. Hoc modo lavit in primis Moyses populum suum, quando pro venia peccati impetranda tam ferventer Deum oravit, ut mallet privari sua beatitudine, quam videre populum mori in peccato et perire, Exod. XXXII. Ita quoque Samuel pro suis subditis, tametsi ab ejus repudium accepisset, sensit se nihilominus obligatum ad orandum uti prius: *Absit a me hoc peccatum in Dominum, inquit, ut cessem orare pro vobis, I. Reg. XII.* Putabat enim se ex charitate saltem obstrictum ad orandum etiam pro ingratis et inimicis. Non dissimili ratione Job lavit oratione filios in primis suos convivia per ordinem agentes, ut eorum labes, quibus interim se commacularant, oratione abstergeret, c. I. Deinde amicos suos, a quibus non exiguam contradictionem et probra sustinuerat, reconciliavit Deo suis sacrificiis et precibus, cap. uli.

Quando igitur vidimus qua ratione unusquisque lavare alterum possit non materiali solum, sed mystico quoque lavacro, magis pretioso magisque salutari, ad intentionem Christi propius accedente; superest ut hoc obsequium tam stupendo simul exemplo et mandato nobis propositum nullatenus negligamus, sed quibus possumus modis adimplere studeamus.

CONCIO III.

MAGNITUDO AMORIS DIVINI IN SANCTA EUCHARISTIA.

I. Sublimitas amoris in eucharistia. — II. Profunditas amoris. — III. Latitudo charitatis. — IV. Longitudo charitatis.

THEMA.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.

Joann. XIII.

Nos Germani, quando eximium alicujus amoris erga alterum enuntiare volumus, dicimus: Absque fine vel in finem diligit. Hujusmodi amore dilexit Christus suos, ut in hodierno evangelio asserit Joannes: *In finem dilexit eos; quando scilicet non solum lavit pedes discipulorum suorum, sed et multo maxime, quando eos pavit corpore et sanguine suo.* Sed quis nobis jam exponet, quid sit diligere in finem? Certe S. Paulus ad Ephes. III. ait charitatem Christi supereminere omni scientiæ, adeoque explicari non posse. *Ut possitis scire, inquit, supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Eam tamen ibidem obscuris verbis explicat, cum præmittit: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum.* Cujus rei? *Charitatis Christi, ut mox subdit: Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Jam vero, ei ullibi hæc quatuor dimensiones supereminentes charitatis Christi clarescunt, clarent in sacramento eucharistiæ. Et hoc igitur est, quod Joan. ait: *In finem dilexit eos:* h. e. tam alte, tam profunde, tam late, tam longe, ut non posset magis, uti videbimus.

I. Sublimitas amoris apparet in excellentia hujus doni; (altum enim appellamus quod superat nostram conditionem, dignitatem, vires,) quia summum quod habuit nobis dedit, et quidem in cibum summa conjunctione. Maximum amorem erga Davidem ostendit Jonathas, quando exiit se vestibus suis usque ad balteum et induit eis Davidem, I. Reg. XVIII. Magnum et Elias ostendit Elisæo, cum raptus curru igneo reliquit pallium suum, IV. Reg. II. Multum omnino dedisset nobis Christus, si modo consimili in memoriam sui reliquisset nobis pallium, imo filium unicum pallii sui. Id enim maximo honore aservaremus, publica pompa per vicos et plateas circumgestaremus et jure meritissimo: quo modo gloriabatur S. Antonius pallio S. Pauli, Paulus Athanasii. Sed plus ultra amor ejus perrexit: corpus suum dedit nobis. Reperti sunt

quidem aliqui, qui pro dilecto seipsum tradere in servitum voluerunt, uti Judas pro fratre Benjamino, Gen. XLIV. S. Paulinus episcop. Nolanus pro filio viduæ. Sed quis alteri se in cibum unquam dare voluit? Scribit Philippus Bosquer e S. Francisci familia in scipione claudicantium, conc. VI. rem inauditam, certa tamen, ut ait, fide sibi perspectam. Ludebant in montibus Pannoniæ viri aliquot pila palmaria reflexis, ut fit, ad cubitum manicis. Forte mulier uterum ferens et ibidem transiens substitit, et velut repente anthropophaga carnem brachii unius e lusoribus appetit. Confessa morbum suum, teneri se desiderio summo carnis humanæ, lusor et matris et prolis miseratus, arrepto cultello carnis particulam excindit e brachio suo et porrigit. Qua avidè devorata, rursus mulier alteram petiit. Excindit ille et altero brachio carnis partem. Necdum satura tertiam petiit; sed ille comiter: Mea ut video liberalitas nimio mihi constabit: non sum ferendo ut tertium bolum porrigam. Itaque, aut priore benevolentia contenta esto, et rem Deo committe, aut a sociis meis pete, ut tantundem charitatis tibi exhibeant. Magna erat hæc (quis negare potest?) et inaudita charitas: non tamen adæquat charitatem Christi, qui se in s. eucharistia totum quantum toties quoties volumus in cibum nobis offert. Ac licet jam in hac obligatione nullum damnum sentiat nec dolorem; sensit tamen, cum se pro nobis semel in manus impiorum flagris concidendum, spinis vulnerandum, clavis crucifigendum dedit; quam eruentam obligationem in memoriam refricat, cum se nobis in eucharistia dat.

Multum dedisset nobis si in specie gemmæ alicujus corj us suum in terra reliquisset, colendum et adorandum, sed altius ascendit: comedendum dedit. Multum dedisset, si mensam suam regiam alicubi communem nobis fecisset, uti David Miphibosetho. Quis enim non pro summo amoris signo acceptaret, si ad mensam imperatoris vocatus juxta ipsum collocaretur? Nonne Aman ille primus in aula Assueri princeps pro maximo sibi duxit honore, quod apud reginam cum rege pransurus esset? Inde sibi gratulans ait: *Apud quam etiam cras cum rege pransurus sum, Esth. V.* Sed quanto majus est quod cæli et terræ Rex, non solum nos ad mensam suam juxta se ponat, sed quod etiam cibum noster esse velit? Vide ergo quam alte ascendit amor Christi.

II. Profunditas apparet in eo, quod cum sit immensus Deus, in parvæ tamen hostiæ speciem se includit, imo in quamvis ejus minimam particulam et punctum (profundum enim appellamur, quod ad infima se extendit.) Petrus

certe, quando agnovit Christum Deum ex captura piscium, ingressum suam pauperem cymbam, coram eo procidit, dicens: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine*, Luc. V. Sed quis non magis stupeat, voluisse nunc eundem Dei Filium ingredi corpora nostra lutea, misera, immunda? Quam profunda esset illa humilitas, qua rex potentissimus se demitteret ad ædiculam pauperis mendici, quam non nisi profunde inclinatus posset intrare, ut ægrotantem solaretur et inviseret! Sed quanto plus est, quod Deus amore nostri in tam angustam hostiam de cælo se demittat? Nonne hic exinanivit semetipsum, et plus quam in incarnatione? Hinc bene de se in eucharistia comprehenso dixit Jo. VI. *Hic est panis de cælo descendens*, de summo scilicet ad infimum, de maximo ad minimum locum: et per Oseam, c. XI. *Declinavi ad eum* (hominem) *ut vesceretur*, quomodo scilicet mater inclinatur se super infantem in cunis jacentem, ut ubera ei præbeat, quia nimirum infans ad matrem erigere se non potest, uti nec nos ad Deum. Deinde cum sit cæli et terræ monarcha, cujus solium cælum, scabellum terra est, cui omnes infinito pene numero angeli serviunt, descendit ad hominem, qui non nisi pulvis et putredo est. Magnum beneficium et amoris indicium est, si rex quispiam stabulario suo ægrotanti mittat pretiosam medicinam, aut delicatum cibum de mensa sua, sed multo plus et fere inauditum foret, si ipsemet de mensa aut throno suo surgeret et servo cibum aut salutiferum poculum afferret ac misceret. Sat multum amoris divini fuisset, si Christus pane et vino virtutem sanctificandi nos contulisset, sicut contulit aquæ baptismi, chrismati et oleo sacro, eaque per sacerdotes nobis misisset. At quod ipse sua præsentia ad nos venire et medicinam porrigere velit, quis hoc satis miretur?

Quid, quod etiam in templis loco solitario et obscuro ac sæpe male accommodato excubat pro nobis, maxime ægrotis, ubi quandoque putredine aut mucore fœdatur, præsertim cum negligentes sunt sacerdotes, a fidelibus venerationis causa raro invisitur, per plateas gestatus ad ægrotos deseritur, et vix a paucis salutatur, ita ut vere objicere nobis possit id, quod dicit in iudicio reprobis: *In carcere eram et non visitastis me*. Bone Deus! Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiabant, Cant. III. et lectulo Christi sæpe nemo adest!

Intrat denique ad humillima tuguria pauperum, ad sordidos et fœtentes ægrotos, ad leprosos, ad maleficos cras suspendendos, etc. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut quid appo-*

nis erga eum cor tuum? Corpus adamantem, saphirum, carbunculum pulchritudine superans, cum fœtido jungis cadavere.

III. Latitudo apparet in eo, quod se absque ullo discrimine omnibus communicat, et communicare desiderat: summis, infimis, divitibus, pauperibus, plebeis et sacerdotibus. Latum enim appellamus, quod ad plurima se extendit. In veteri testamento meliores partes sacerdotibus, viliores plebi de sacrificiis dabantur. Ad mensas regum non quivis admittuntur, sed qui de regio sanguine aut magni principes sunt. Potentes et divites sui similes invitant. Assuerus rex convivium suum non nisi principibus et inelytis suis summis scilicet aulicis et præfectis provinciarum exhibuit. Non ita Christus, qui neminem excludit, nec eos quidem, qui in carceribus positi, supplicio afficiendi sunt, quos aliis tangere etiam horror est. Hoc indicavit Dominus, quando ad cœnam magnam invitavit non solum divites, sed etiam dixit servo: *Exi in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc*, Luc. XIV.

Præterea ad illos etiam venit, qui nullo amoris reciproci igne accensi, sed frigidi et indispositi, absque debita reverentia eum suscipiunt. Si omnes illum susceperent maximo cum desiderio, sicuti Zacchæus: cum gaudio et charitate, quemadmodum S. Franciscus et S. Catharina Senensis alique qui a corporeis sensibus abrepti in ejus amorem et admirationem velut angeli evolarunt, mirari forsitan desineremus. Sed quam plurimi eum suscipiunt velut Pharisæus ille, qui ejus majestatem minime expendunt, nec osculum illi præbent, nec unguento caput ejus unguunt, nec aquam pedibus dant: fert tamen id patienter.

Et quid dico de reverentia? Etiam ab indignis cum maxima irreverentia in fœtentiæ sceleribus pectora permittit sese recipi. De quibus jure queritur, Ps. XXI. *Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens*. Et Ps. XVI. *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam*. Quis autem non indigne ferret, si videret infantem objici leoni?

IV. Longitudo apparet in eo quod nobiscum perseveret in eucharistia, (longum enim dicitur quod diu durat) et ad nos amorem suum effundat. Quamdiu? Usque ad finem mundi. Ita enim fas est intelligere id, quod dixit ascendens in cælum: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Et confirmatur ex Dan. cap. XII. qui asserit ab antichristo primum tollendum iuge sacrificium, publicum scilicet eucharistiæ cultum. Quemadmodum enim columna ignis duxit Hebræos quadraginta annis per desertum,

usque dum venirent ad terram promissam: *Nunquam defuit columna nobis per diem, et columna ignis per noctem coram populo*, Exod. XIII. ita in sacra eucharistia Christus nunquam deseret Ecclesiam, sed eam semper ducet ac sustentabit, illuminabit, et tuebitur usque ad finem mundi. Ac licet in hoc mundo partim a Judæis et hæreticis, partim ab ipsis Catholicis multas patiantur contumelias, despectus, rusticitates, neglectus, peccata gravia, non ideo tamen Ecclesiam suam deserit, adeo illam amat. In qua re ut in aliis multis, typus ejus fuit Sampson, qui licet a sua Dalila varias et graves sustinuerit injurias, eam tamen amare non desistit, quando et caput suum in sinu ejus posuit, Judic. X. Multi sacerdotes sceleribus obnoxii indigne eum tractant, sustinet tamen; modo per manus eorum, etiam indignas, perveniat ad dilectos suos, qui eum valde et cum honore suscipiunt; quo modo S. Franciscus Xaverius nihil pensi habuit etiam piratæ navim conscendere, ut in Chinam deveniret et Christum annuntiaret; adeo amabat salutem animarum.

Secundo, deinde usque ad finem vitæ cujusque. Tametsi enim aliqui tota sua s. eucharistiam negligunt, et forte etiam contemnunt, si vel in fine vitæ respiciant, eamque penitentes considerent, non repudiabunt illos, sed mox advolabit et salutem eis impertiet. Quod sane immensi et insuperabilis amoris est argumentum. Quis enim vir adulteram, a qua spretus et desertus longo tempore fuit, cum viderit eam postea in necessitate constitutam, recipiet in gratiam, licet ipsa se coram eo humiliet, et veniam precetur? Attamen hoc Christus facit, uti testatur per Jeremiam, c. III. cum ait: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te*. Plurimi Christiani postquam per peccatum a Christo recesserunt, fornicantur cum mundo, carne, dæmone, nec ullam Christi ejusque sanctissimi sacramenti curam aut rationem habent. In morte respiscunt et tum sacerdotem advocant, reconciliari Christo volunt, et s. eucharistiam expetunt. Quid Christus? Non repellit eos, sed mox ad eos advolat: quia in finem diligit: juxta id Jerem. XXXI. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui*. Ostendit te mihi alium tam constantem nostri amatorem. Quadrat huc quod Barlaam Josaphato in parabola proposuit, de homine, qui habuit tres amicos, quorum duos vehementer diligebat, ita ut pro illis etiam ad

mortem dimicare paratus esset, tertium negligebat, nec ullo honore aut benevolentia prosequeretur. Contigit, ut repente a militibus invasus ad regem traheretur redditurus rationem decem millium talentorum. Ergo in angustiam redactus adit primo amicum dilectissimum opem ejus implorans. Sed is respondens ait, seipsum non novisse, habere se amicos alios; quibus obligatus ad serviendum sit: nec aliud nisi duo cilicia ad iter donat. Alterum ergo adit similiter dilectum, qui et ipse per negotia se excusat, qui opem ferre queat, spondet tamen ad breve vitæ spatium se comitem illi futurum. Coactus itaque ad tertium, quem neglexerat, amicum pergit: ac verecundo vultu opem ejus, licet immeritus, implorat. Ille hilari facie eum suspiciens, spondet operam suam, et cum amico pergit, vadem se regi pro amico offerens atque satisfaciens. Amicus primus est abundantia divitiarum, quæ licet tanto studio culta, morienti nil nisi duos pannos, quibus involvitur, donat. Alter sunt uxor, liberi, familiares, amici, qui nil aliud opis ferunt, quam quod mortuum ad sepulcrum comitentur. Tertius quis nisi Christus qui licet tota vita neglectus, si in fine vitæ serio invocetur, non destituit hominem: sed cum salutis pignore domum ejus ingreditur, et defendit eum in tremendo iudicio? Hoccine non est diligere usque in finem? Sensit hoc saucius ille Judæus, qui a duobus itidem Judæis, sacerdote et levita neglectus, curatus a Samaritano alienigena, quem prius adversatus fuerat, Luc. X. quæ parabola haud dubie ex vera historia desumpta est, ut observat ibi Cor. a Lap.

Et quid jam nos tanto amori rependimus; utique diligamus eum, sicut nos dilexit, profundissime, latissime, longissime.

CONCIO IV.

CUR A NOBIS SUMI PER MODUM CIBI CHRISTUS IN EUCHARISTIA VOLUERIT.

- I. Ut ea ratione maxime nobis uniretur. — II. Ut esset memoriale passionis suæ indelebile. — III. Ut velut medicina morbo animi debito modo applicaretur. — IV. Ut debito cum honore, quantum possumus, afficeremus. — V. Ut tutissimo loco nobiscum maneret. — VI. Ut sumeretur velut panis nobis necessarius.

THEMA.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Jo. XIII.

De fortissimo illo monstrorum domitore Her,

eule scribunt veteres, cum ubi rebus suis præclare gestis ad oceanum pervenisset, in extrema terrarum ora duas erexisse columnas eisque inscripserit: *Non plus ultra*, Sabel. l. V. Enne ad I. Carolus V. tamen imper. quando ultra fines illos, usque in Indiam vidisset, suum porrexit imperium symbolo suo inscribi *Plus ultra* voluit. Videtur sane Christus ad ultimum dilectionis et humilitatis suæ terminum devenisse, quando se ad pedes discipulorum suorum lavandos demisit. Ita enim de hac amoris extensione loquitur, Joan. quasi extremum fecisset, et ulterius pergere non posset, quando dixit: *Cum dilexisset suos in finem dilexit eos*, quasi dicat: *Non plus ultra* potuit se deprimere, postquam se abiecit ad suorum pedes. Verum necdum attigerat extremum dilectionis terminum. *Plus ultra* enim perrexit, quando seipsum paulo post in cibum et potum suis dedit. Jam si Petrus capere non potuit, quod videlicet Dominus et creator suus jaceret ad pedes suos, quanto magis obstupescendum est, quod in fragilia corpora nostra ingredi, et in nobis habitare voluerit? Ac licet hujus rei causas mens humana pervestigare nequeat, conabimur tamen aliquas saltem congruentias adferre.

I. Instituit Christus eucharistiam ad demonstrandum erga nos amorem suum, quo se nobis unire voluit, quam posset conjunctissime; non poterat autem magis et ætius uniri nobis quam si unum quoddam corpus fieret nobiscum. Hoc autem fit in comestione, in qua cibus convertitur in comedentem; quod cum in eucharistia fieri nequeat, cum cibus hic longe fortior potentiorque sit ipso comedente, ideo ibi Christus convertit nos in se, ut unum quoddam eum ipso fiamus. Diligebat Jonathas Davidem, sicut animam suam: quare ut ipse fieret alter quasi David, quid fecit? Expoliavit se vestibus suis, et induit eas Davidi, ut ita in Davide seipsum quasi intueretur, adeoque David exuisse videretur personam suam pastoritiam, et induisse Jonatham principem, I. Reg. XVIII. Verum nondum omnino ætissima erat ista unio; quia species Jonathæ in vestibus quidem aparebat, non tamen ipse Jonathas. Unde David expoliatus vestibus illis etiam specie Jonathæ exutus fuisset. At vero Christus in eucharistia ita se nobis unit, nosque in se transformavit, ut anima Christi realiter animabus nostris conglutinetur, adeoque nos in ipsum sensim transformemur, ut jam non ipsi, sed Christus in nobis vivat, juxta id apostoli: *Vivo ego jam non ego: vivit vero in me Christus*, ad Gal. II. De Jonatha dicitur I. Reg. XVIII. animam ejus conglutinatam fuisse cum anima Davidis: at de

Christo Domino dici potest ac debet, non solum animam, sed etiam corpus ejus conglutinari corporibus nostris. Eo usque nimirum progressus est amor ejus, ut plus ultra non posset. Unde Sanctus Chrys. hom. LXI. ad pop. ait: « Propterea semetipsum nobis immiscuit et corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tamquam corpus capiti coaptatum: ardent enim amantium hoc est. »

II. Ut haberemus memoriale passionis ejus perenne et indelebile. Non poterat autem hunc in finem dari meliori modo quam si in cibum et potum daretur. Cum enim alia omnia facile obliviscamur, cibi tamen et potus oblivisci diu non possumus. Norunt cibum et potum suo modo petere etiam infantes elingues, quinimo et pecora balatu, latratu, hinnitu, boatu. Nihil ergo homini magis in votis est, quam panis materialis: nihil magis necessarium, quam panis spiritualis; quare sicut panis materialis indigentia quotidie nos meminisse Dei et ad eum recurrere cogit: ita panis eucharisticus revocat in mentem passionem Domini, cujus memoriale est. Ad hæc cum is, qui manducat illum panem, vivat in Christo, et Christus in illo; quomodo fieri potest, ut homo Christi obliviscatur, nisi et obliviscatur sui? Siquidem unum quid efficiunt.

III. Ut esset medicina morborum nostrorum spiritualium. Ergo sumi a nobis debuit, quia morbi nostri intus in anima latent, et ex corde prodeunt, velut ex officina omnis mali et boni, Matth. XV. Quemadmodum enim a stomacho male disposito pene omnes morbi oriuntur, ita a corde pravo omnia peccata. Bene igitur instituit Dominus, ut medicina peccatorum sumatur instar cibi et potus, ut ita cordi applicata efficacius id sanet atque immutet. Legimus communiter, Dominum tetigisse affecta male habentium membra, velut linguam muti, oculos cæci, aures surdi, leprosam corporis partem, etc. tum ut contactu carnis suæ vivificæ morbos sanaret; tum ut appareret ab ejus contactu sanitatem ægris impertitam esse. Pari ratione voluit nobis providere tale pharmacum, quod fonti morborum cordi applicaretur, ut sanitatem animæ per id obtentam ipsi adscribendam intelligeremus. Dixit Salomon, Prov. XIV. *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit*. Ex corde naturali vita pendet naturalis: ex corde morali, quod est mens et voluntas, vita moralis. Indigebat ergo cor nostrum tali electuario, quoniam ex eo tota hominis vita et salus dependet. Dixit quidam senior in prato spirituali, c. CX. *Esto janitor cordis tui, ne intret peregrinus, dicens: Noster es, an adversariorum?* Sed communiter nos mali cus-

todes cordis nostri sumus, et propter amorem proprium hostes intromittimus, qua ratione etiam nemo censetur bonus sui ipsius medicus. Itaque alius et sincerior custos cordi nostro adhibendus fuit, et quis melior, sapientior et nostri amantior quam Christus! Ipsum igitur se custodem nobis Christus dedit, juxta id Cant. ult. *Pone me ut signaculum super cor tuum*.

IV. Ut quemadmodum in cælo colitur et adoratur ab Ecclesia triumphante, sic etiam sua præsentia extimularet militantem ad similem ipsius cultum ac venerationem; eo quod nobis hoc plurimum conducat. Ut ergo cœlites Christum omni, quo possunt, modo semper venerantur et honorant, ita et nobis connitendum in terra, ut quam honorificentissimo loco habeamus et collocemus eum, qui se amore nostri ultimo semper in loco collocavit, in præsepio et cruce. Non habemus autem locum honoratiorem et partem corporis mundiorum, quam os et linguam nostram. Cæteris enim membris immunda sæpe corpora contingimus; reliquis etiam sensuum organis impuras sæpe rerum species haurimus tum auribus, tum oculis, tum naribus; at vero in os nostrum nihil immundi admittimus, similiter et lingua nostra nihil fœdum et abominabile tangere volumus. Unde Petrus in visione jussus comedere immunda quadrupedia et serpentina terræ: *Absit Domine*, inquit, *quia nunquam manducavi omne commune et immundum*, Act. X. Dum ergo per os et linguam invehimus Christum in cor nostrum, veluti per portam templi magis speciosam, et equo nitidior ad nos introducimus, sic quo possumus meliore modo ipsum honoramus. Quo videtur alluisse S. Paulus, I. Cor. VI. dicens: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*. Sane in pullo asinæ, in quo nullus hominum sederat, in vehi Dominus voluit Jerosolymam: sepeliri etiam in sepulcro mundo, in quo nemo prius sepultus fuit, adeoque ab omni fœtore immuni: sindone quoque munda involvi; ad nostrum documentum ut corpus ejus in eucharistia omni, qua possumus, reverentia et munditia excepiamus. Quare sicut os nostrum præ aliis membris maxime mundum conservamus, sic etiam admonemur ut mundo corde in s. communionem Christum sumamus.

V. Ut nobiscum perseveraret, ita ut nobis nolentibus a nemine tolli posset, sicque velut sumus thesaurus noster loco tutissimo a nobis conservaretur. Non possumus autem melius aliquid custodire, quam si id comedamus. Scribit de Hebræis in Jerosolymitana Titi obsessione pressis Josephus, l. d. de bello, c. XV. quod tempore obsessionis, cum e civitate plurimi fugissent et

aurum primo in vestibus occultassent Romani, eos ceperint et aurum deprehenderint ac raperint. Itaque fugitivi Hebræi aureas monetas ceperunt deglutire, eo quod hac ratione putarent securissime custoditas. Verum ubi hostes id advertere, dissecerunt eis ventres, et aurum exemerunt. Nobis ergo thesaurus noster infinitus Christus, ita datus est, ut per comestionem securissimo loco eum servaremus; neque vero nobis quemadmodum Hebræis tolli e visceribus potest, quia brevi spatio inmutatis speciebus desinit in nobis esse. Legimus S. Thomam Aquinatem, cum adhuc infans esset, et schedulam, in qua descripta erat salutatio angelica, manu comprehendisset, eam deglutisse, ne sibi a matre vel nutrice eriperetur. Insidiantur nobis inferæ potestates, quin etiam domestici sæpe inimici, ut auferant nobis Christum, et qua ratione tutius eum conservabimus, quam si per s. communionem in cor nostrum trajiciamus? Eo pertinet, quod Sponsa, Cant. III. ait: *Tenui cum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ*.

VI. Quia ad cibandam, sustentandam, et confortandam animam nostram instituta est. Decuit ergo ut sumeretur instar panis, ut intelligeremus quam utilis et necessaria sit nobis eucharistia. Atque hæc potissima videtur esse causa, quam insinuavit Dominus, quando dixit Joan. VI. *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*. Et rursus: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Est autem panis non corporis, sed animæ; quæ et ipsa suo pane non minus quam corpus eget. Ut enim calor natus agens in corpus humanum et humidum ejus radicale, sensim id absomit, indeque corpus debilitat; ita ut per cibum et potum instaurari ac confortari debeat, ita et anima in suis viribus sensim frangitur et debilitatur per concupiscentiam, quæ trahit illam ad sensuales delectationes, terrenas cupiditates et carnalia desideria. Debet igitur et ipsa cibo suo roborari et restaurari. Qui autem magis effeac ipsique conveniens, quam ipse animarum medicus et omnis sanctitatis fons Christus? Hic enim partim solo contactu suo ex vi sacramenti et opere operato vires dabit animæ, quo modo etiam sanavit tactu suo quoscumque morbos corporis, partim ex opere operantis, si communicans cibum hunc prius piis affectibus et devota meditatione bene quasi masticet, quam deglutiat. Scimus enim cibum multo magis prodesse, si præmansus manducetur, quam si quemadmodum lupis consuetum est, integer in stomachum trajiciatur. Masticatur autem si cogitamus qualem et quantum Dominum